RESOLVTIONVM CRIMINALIVM PETRI CABALLI I.C. PONTREMVLENSIS:

PRO SERENISS. MAGNO DVCE HETRVRIÆ
Vniuerſarum Militarium legionum Auditoris;
AC SACRÆ RELIGIONIS EQVITVM
DIVI STEPHANI PRÆSIDENTIS;
NEC NON IN SIGNATVRA LIBELLORVM
Supplicum Gratiæ & Iuſtitiæ Conſiliarii

Centuriæ Tres.

HAC POSTREMA EDITIONE AB IPSO AVCTORE
correctæ, emendatæ, & quampluribus additionibus auctæ, & locupletatæ.

IN QVIBVS OMNIA PENE AD CRIMINOSORVM IVDICIORVM
materiam pertinentia ita excuſſa apparent, vt iudicantium futurus ſit nemo, qui vel minimo negotio quaſlibet maleficiorum nodos non diſſoluat, & cunctos fere caſus magis dubitabiles, & quotidie in foro verten-tes tuto non decidat., tam attenta vtriuſque Iuris diſpoſitione, quam Curiarum hodierni temporis conſuetudine.

ADIECTIS SVMMARIIS, ET DVPLICI INDICE, VNO ARGVmentorum Caſuum omnium, altero verborum, rerum, & ſententiarum, quæ in his tribus Centuriis continentur.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA · SALAMANCA

Francofurti, è Collegio Muſarum Paltheniano.

M. D C. XIII.

Cum Gratia & Priuilegio Sacræ Cæſar. Maieſtat.

SERENISSIMO AC POTENTISS.
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO IOHANNI
COMITI PALATINO AD
RHENVM, TVTORI ATQVE ELECTORALIS PALATINATVS ADMINISTRATORI, S. ROMANI IMperii in partibus Rheni, Sueuiæ, & Iuris Franconici Prouiſori ac Vicario, Duci Bauariæ, Comiti Veldentiæ ac Sponhemii, &c.

S. P.

MAgnos, Illuſtriſsime ac Sereniſsime Princeps, magna decent, vt in vulgari prouerbio fertur. Tua vero Celſitudo ac Serenitas cum ſit magna, & magnarum virtutum exemplis illuſtrata, vt Principibus aliis nō ſolum exemplo ſis, ſed & Vicariatum in tractibus Rheni, Sueuię, ac Iuri Franconico prouidēdo obtinens cum ſumma laude & integritate præſis: gradus Honorum, quos tibi Tua virtus cum ſumma Nobilitate coniuncta diuino nutu peperit, maiores: Splendor virtutum, quibus Celſitudo ac Serenitas Tua apprime enitescunt, maximus: Fauor & amor ad ſalutem honorū, ad pauperum calamitates ſubleuandas, ad populorum tuorum curam non mediocrem ſuſtinendam ardentiſſimus: Clementia & gratia erga clientes & miſerabiles perſonas ampliſsima: Humanitas ad tuendos literatorū

Reſolutionum Criminalium

PETRI CABALLI PONTREMVLENSIS IVRISCONSVLTI.

PRO SERENISS. MAGNO DVCE AETRVRIAE DVDVM VNIuerſarum Militarium Legionum & Magiſtratus Dominorum Octouirorum Guardiæ & Baliæ Auditoris,

AC SACRÆ RELIGIONIS EQVITVM
Diui Stephani Præſidentis.

NVNC VERO PRO EODEM SERENISS. PRINCIPE IN Ciuitate, ac tota ditione Florentina Fiſcalis Cameræ Auditoris Generalis,

NECNON IN SIGNATVRA LIBELLORVM SVPPLICVM
Gratiæ, & Iuſtitiæ Conſiliarii.

Centuria Prima.

CASVS I.

An omne quod illicitum eſt, & contra bonos mores, dicatur delictum, ita vt de eo quis poſſit criminaliter moleſtari & puniri.

SVMMARIA.

Actionum hominis iniuſtarum illa tantum ſapit delictũ pœna dignum, quam lex voluit eſſe delictum. n. 1.

Contra prohibentem funerari ab eo, quem teſtator elegit, nũ reperitur pœna ſtatuta, licet non recte ipſe agat. 2.

Non omne illicitum punitur. 3. 4. 5. 6. 20.

Nec omne vel inhoneſtum. 10.

Vel inciuiliter factum. 9.

Heres impune demolitur villam poſitam in fundo, cuius vſufructus eſt alterius, antequam vſufructuarius prohibuerit. 4.

Corpus defuncti per vicos ſine permiſſu tranſuehi non licet, pœnam tamen non meretur contra faciens. 5.

Eximens eum, qui iniuſte in ius vocatus eſt, non delinquit. 6.

Delictum non eſt, quod ſit illicite, ſi pœnam non meretur, & hoc non attenta veritate, ſed iuris interpretatione 7. 13.

Licita multa reputantur, quæ non ſunt honeſta, nec bono viro conuenientia. 8.

Pœna nunquam imponitur, niſi expreſſe lege caueatur. 11.

Delictum vbi non eſt, ibi pœna non cadit, accuſatio non recipitur, nec inquiſitio formatur. 12.

Actio criminalis regulariter non oritur ex delictis contra priuatos niſi ciuilis orta ſit parti. 14.

Dolus criminaliter non punitur, ſi purgari poſſit actione ex contractu, in quo interuenit, & ceſſat actio de dolo ciuilis, quæ in ſubſidium datur. n. 15.

Faciens contra legem, quæ pœnam non determinat, congrue punitur iudicis arbitrio, tanquam legis contemptor. 16.

Pœna illa imponi debet, quæ a lege reperitur ſtatuta. 17.

Natura ipſa delictis pœnas ſtatuit, & conſcientia continuo facit ſupplicium inferre. 18.

Iudicium de criminoſis facere, ſanctiſſimum eſt, & inter eleemoſynarum genera connumeratur: nec pinguior Deo mactatur victima, quam homo iniquus. 19.

ET ſi in explicatione eorum caſuũ criminalium, quos hactenus in vnũ colligere potui, ordinem non obſeruare propoſui (cum male eum obſeruari poſſe præuiderim) & ſingulos caſus, prout ſeſe obtulerant, compilauerim, cum tamen de delictis, & delinquentium pœnis agendum ſit, nõ abre hoc primo loco collocanda videtur quæſtio non ſpernenda, & ad criminum cauſas diiudicandas neceſſaria: *Num ſcilicet omne, quod male aut dictum, aut factum apparet illicitumve, aut cõtra bonos mores, extitit, delictum cenſeri debeat, ex eoq; pœna indicenda veniat?* In qua re negatiue reſpondendum eſt, † quoniam non quælibet iniuſta hominis actio ſapit delictum pœna di- 1
gnum, ſed ea tantum, quam lex delictum eſſe voluit, puniendamq; expreſſe ſtatuit; Quam propoſitionẽ optime probãt infra ſcripta iura, inprimis ſcilicet tex. *in l. at ſi quis. §. diuus ff. de relig. & ſumpt. funer.* vbi Vlpianus ex reſcripto Diui Marci formaliter inquit, † here- 2
dem, qui prohibet funerari ab eo, quem teſtator elegit, non recte facere, pœnam tamen in eum ſtatutam non eſſe. Vnde gl. notat † non puniri illicitum. Secun- 3
do tex. *in l. heres ff. de vſufr. legat.* vbi Alphenus vult, heredem † impune poſſe demoliri villã poſitam in fun- 4
do, cuius vſusfructus eſt alterius, antequam vſufructuarius prohibuerit, & ibi pariter notat gl. nõ omne illicitum puniri. Tertio tex. *in l. 3. §. diuus ff. de ſepul. viol.* vbi Vlpian. ex reſcripto Diui Marci punctualiter † ait, nullam pœnam meruiſſe eos, qui corpus defuncti in- 5
itinere per vicos aut oppida tranſuexerunt, quamuis talia ſine permiſſu eorum, quibus permittendi ius eſt, fieri non debeant, quo in loco dicit gl. nota delictum ſine pœna. Quarto tex. *in l. 1. per tot. iuncta l. 2. ff. ne quis eum, qui in ius vocat. eſt vi exim.* vbi dicitur, quod qui in ius vocatum vi eximit cõtra edictum facit, *d. l. 1.* quod edictum pœnale eſt *d. l. 1. in prin.* & nihilominus qui vi 6
eximit eum, qui vocatus eſt in ius, cum tamen vocari non debuiſſet, non delinquit, vt dicitur *in d. l. 1. §. Officium.* ex quo textu colligit ibi Bald. *in 2 notab. n. 4.* quem ſequitur Caſtr. *num. 4.* quod illud, quod ſit illicite, † ſi

Et idem ſi ex ſtatuto habeatur non ſolum pro confeſſo, ſed etiam pro conuicto. 2.

Contumax ex forma ſtatuti habitus pro confeſſo, & condemnatus appellans non tenetur eius innocentiam probare, vel fiſcus, vel accuſator debet probare delictum, quia in cauſa appellationis non durat dicta confeſſio ficta. 3.

Contrarium tamen verius eſt, quod immo ipſi appellanti incumbat onus probandi. 4.

Contumax ex forma ſtatuti habitus pro confeſſo, & condemnatus poſtea non auditur, ſed contra eum exequitur ſententia. 5.

Reus comparens poſt terminum banni, licet ante ſententiam, non releuatur ſola negatione, ſed grauatur onere probandi ſuam innocentiam. 6. 14.

Quæ concluſio procedit, licet nulla alia vltra contumaciam adſint indicia, licet aliqui contrarium tenuerint. 7.

Et idem licet non fuerit ante diffinitiuam per iudicem pronunciatum, dictum contumacem haberi pro confeſſo, licet aliqui contrarium teneant. 8.

Et multo magis ſi præceſſerit declaratio contumaciæ, licet a ſtatuto prohibita eſſet appellatio a tali interlocutoria. 11.

Contumaciæ ſatis eſt quod appareat ex actis abſque alia iudicis declaratione. 9.

Contumacia declaratoria non ſit hodie de conſuetudine, niſi in diffinitiua ſententia. 10.

Et idem eſt licet contumacia non fuerit per aliquem accuſata. 12.

Contumacia hodie de conſuetudine non accuſatur. 13.

Florentiæ extat decretum contra contumaces, qui non comparuerint in termino banni, vt adipſos ſpectet onus probandi innocentiam, & eſt veriſſimum, & iuri communi conſonans. 15.

Condemnatus, & poſt ſententiam in iudicatum tranſactam reſtitutus in integrum aduerſus ſententiam, vel admiſſus ad nouas defenſiones, an teneatur probare ſuam innocentiam. 16. & ſeq.

Appellatio non datur ex ſtatuto Florentino a ſententia criminali diffinitiua, vel interlocutoria, ſed ſolum in cauſis mixtis. 17.

Appellatio datur in cauſis mixtis, etſi ſtatutum prohibeat in criminalibus appellare. 18.

Appellatio tolli poteſt a ſtatuto. 19.

Admiſſio ad nouas defenſiones, quibus de cauſis introducta. 20.

Admiſſio ad nouas defenſiones, quando debeat a Principe concedi. 21.

Condemnatus, & poſt ſententiam in iudicatum tranſactam admiſſus ad nouas defenſiones, tenetur innocentiam ſuam probare. 22. cum ſeq.

Admiſſo ad nouas defenſiones mortuo ante præſentationem gratiæ poterit hæres pro ſuo intereſſe præſentare. 23.

Admiſſo ad nouas defenſiones non probante innocentiam, iudex exequitur ſententiam ſi ex qualitate indiciorum tutam habet conſcientiam, quod reus deliquerit. 24.

Si vero indicia ſint debilitata torquetur, vel mitius punitur. 25.

Admiſſus ad nouas defenſiones, ſi non probet innocentiam, vel non eludat indicia torquetur, etſi contra eum extet ſola contumacia. 26.

Admiſſio ſimplex ad nouas defenſiones non tollit confeſſionem ex contumacia reſultantem ſed facit, vt condemnatus audiri poſſit, & contrarium probare. 27.

Reſtitutus aduerſus ſententiam, & bannum non tenetur innocentiam probare, ſed accuſatore, vel fiſco non probante delictum abſoluitur. 28.

Reſtitutio tantum reſtituit, quantum id abſtulit aduerſus quod datur reſtitutio. 29.

Reſtitutio aduerſus ſententiam non autem aduerſus bannum tollit quidem ſententiam, non tamen confeſſionem ex contumacia, & banno reſultantem. 30.

Gratiæ tenor valde conſiderandus in admiſſis ad nouas defenſiones, vel reſtitutis, vt appareat an magis, vel minus plena ſit reſtitutio. 31.

Florentiæ quid ſeruetur circa admiſſos ad nouas defenſiones. 32.

Et quod tales non probantes innocentiam non torquentur, & ſi contra eos extet ſola contumacia, ſed ſententiam mandatur executioni. 34.

Reſeruatio termini in ſententia ad comparendum poſt ſententiam quid operetur. 33.

Reus condemnatus in contumaciam quandoque reſeruatur in ſententia tempus competens ad comparendum, & iuſtificandum ex cauſa tamen ibidem.

Probationes delicti fieri poſſunt per accuſatorem, vel fiſcum tempore, quo admiſſus ad nouas defenſiones poteſt innocentiam ſuam probare. 35.

Teſtes regulariter debent, reo citato, examinari, vel repeti. 36.

Teſtes, reo non citato, pro informatione curiæ examinati non ſunt repetendi, vbi reus fuit contumax, licet poſtea admiſſus ad nouas defenſiones, vel reſtitutus aduerſus ſententiam, & bannum comparuerit. 37.

STante ſtatuto, quod citatus, & poſitus in banno ob contumaciam in non comparendo infra terminos præfixos ad ſe d. fendendum ab accuſatione, vel inquiſitione, habeatur pro confeſſo de omnibus, de quibus imputatur, de pluribus in contingentia l. ſi diuerſis temporibus, diſputari vidi in materia fractura pacis, treugæ, & promiſſionis de non offendendo, in qua appellatio permiſſa eſt in ſtatu Florentino. Primo, *an condemnatus in contumaciam in pœnam fractæ pacis, treugæ, vel cautionis de non offendendo vt contumax habitus pro confeſſo ex forma ſtatuti poſſit appellare?* Secundo, dato quod liceat appellare, *an tamen ficta confeſſio inducta in illa prima inſtantia ex contumacia propter citationem & bannum duret in cauſa appellationis, ita quod pars, quæ accuſauit, vel curia, quæ inquiſiuit habeat intentionem ſuam fundatam, & non debeat probare, quod reus commiſerit maleficium, ſed ipſe accuſatus, vel inquiſitus habeat ſe excuſare, & ſuam innocentiam oſtendere, quod maleficium illud non fecerit?* Tertio, *an idem ſit in reſtituto in integrum aduerſus ſententiam, vel bannum, vel admiſſo ad nouas defenſiones?* Quarto, *an facta dicta reſtitutione, vel admiſſione iniceat accuſatori, vel fiſco probare delictum contra dictum reſtitutum vel admiſſum?* Quinto, *an teſtes pro informatione curiæ recepti in proceſſu contumaciali, parte non citata, probent contra dictum reſtitutum, vel admiſſum abſque eo, quod denuo examinentur, vel repetantur?*

Circa † primum, *an condemnatus in contumaciam & habitus ſtatuto pro confeſſo appellet?* Reſpondetur, 1
quod poteſt appellare quia propter bannum, & propter confeſſionem fictam non denegatur appellatio, ita conſuluit Paul. de Caſtr. *in conſil. 141. viſa quadam inquiſitione, in primo dubio, nu. 1. & 2.* inquiens, quod ita reperit conſultum fuiſſe per D. Bald. D. Guid. & D. Comitem de Peruſio *in quodam conſilio incipiente, Titius accuſatus,* & idem tenuit idem Caſtr. *in l. ſecundum*

† quod

RESOLVTIONVM CRIMINALIVM

PETRI CABALLI, I.C. PONTREMVLENSIS:

PRO SERENISS. MAGNO DVCE HETRVRIÆ
Dudum vniuerſarum Militarium legionum, & Magiſtratus Dominorum Octovirorum Guardiæ, & Baliæ Auditoris,

AC SACRÆ RELIGIONIS EQVITVM
DIVI STEPHANI PRÆSIDENTIS;

NVNC VERO PRO EODEM SERENISS. PRINCIPE IN CIVITATE
ac tota ditione Florentina Fiſcalis Cameræ Auditoris generalis.

NEC NON IN SIGNATVRA LIBELLORVM
Supplicum, Gratiæ, & Iuſtitiæ primi Conſiliarii,

Centuria Tertia.

IN QVA OMNIA PENE AD CRIMINOSORVM IVDICIORVM
materiem pertinentia ita excuſſa apparent, vt iudicantium futurus ſit nemo, qui vel minimo negotio quoſlibet
maleficiorum nodos non diſſoluat, & cunctos fere caſus magis dubitabiles, & quotidie in foro uerten-
tes tuto non decidat, tam attenta vtriuſque Iuris diſpoſitione quam Curiarum ho-
diernis temporis conſuetudine.

ADIECTIS SVMMARIIS, ET DVPLICI INDICE, VNO ARGVmentorum Caſuum omnium, altero verborum, rerum, & ſententiarum.

CVI ACCESSIT EIVSDEM AVCTORIS ELEGANS TRACTATVS
de omni genere Homicidii, omnibus in foro practicantibus neceſſarius.

Francoforti, e Collegio Muſarum Paltheniano.
M. DC. XIII.

PETRI CABALLI IVRISCONSVLTI PONTREMVLENSIS,

PRO SERENISS. MAGNO DVCE HETRVRIÆ Vniuerſarum Militarium legionum Auditoris:

AC SACRÆ RELIGIONIS EQVITVM DIVI STEPHANI PRÆSIDENTIS;

NEC NON IN SIGNATVRA LIBELLORVM Supplicum Gratiæ & Iuſtitiæ Conſiliarii;

TRACTATVS LVCVLENTISSIMVS

De omni genere Homicidii,

AD DEFENSIONEM INNOCENTVM & pœnam Reorum.

ADIECTIS SVMMARIIS ET INDICE LOCVPLETISSIMO.

PROSTAT

Francoforti in Collegio Muſarum Paltheniano.

M. DC. XIII.

TRACTATVS

DE OMNI GENERE HOMICIDII,

COMPOSITVS PER D. PETRVM CABALLVM I. C. PONTREMVLENSEM,

PRO SERENISSIMO MAGNO DVCE ETRVRIÆ DVDVM VNIVERSARVM MILITARIVM LEGIONVM, ET Magiſtratus Dominorum Octovirorum Guardiæ, & Baliæ Auditorem, ac Sacræ Religionis Diui Stephani præſidentem,

Nunc vero pro eodem Sereniſſimo Principe in Ciuitate, ac tota ditione Florentina Fiſcalis Cameræ Auditorem Generalem, nec non in ſignatura libellorum ſupplicum Gratiæ, & Iuſtitiæ primum Conſiliarium.

SVMMARIA.

1 Homicidium eſt hominis cædes ab homine perpetrata.

2 Homicidium habuit originem à fratribus, & paſtoribus.

3 Homicidiū ex inuidia proceſſit: quo vitio in homine non inuenitur turpius, ac deteſtabilius.

4 Homicidium aliud ſimplex, aliud deliberatum.

5 Homicidium ſimplex committitur ſine qualitate animi deliberati: Deliberatum vero ex propoſito.

6 Homicidium ſimplex quinq; modis committitur, lege permittente, neceſſitate, caſu, culpa, dolo.

7 Homicidium deliberatum altero de quinq; modo perpetratur, ex propoſito, ex inſidiis, proditorie, per aſſaſinium, per venenum.

8 Homicidium lege permittente commiſſum quod ſit.

9 Factum legitime impunitatem habet.

10 Executor iuſtitiæ, qui iuſſu Magiſtratus hominem occidit, non dicitur homicida, nec pœnam aliquam incurrit, & num. 19.

11 Executor Iuſtitiæ ex occiſione delinquentium laudem, & præmium conſequitur.

12 Magiſtratus ex Deo ſunt, & gladium gerunt, vt puniant maleficia, & defendant innocentiam.

13 Carnifice, ſi deeſſet in ciuitate, Iudex poſſet iubere alicui uili perſonæ, vt munus talis Lictoris adimpleat.

14 Officialis pro iuſtitia exequenda poteſt facere accipere aſſaſinum priuati, vt poſſet malefactorem ad locum ſupplicii.

15 Lictor ſi ſub prætextu publicæ vindictæ priuatim quoq; ſe vindicā contenderet cum malefactore inimico ſuo, delinquit vt verus homicida.

16 Animus ſolus in delictis inſpicitur.

17 Actus omnis eſt indifferens, ſublata voluntate.

18 Peccatum quod in Deum admittitur, ſi Magiſtratibus, aut Iudicibus innoteſcit, temporali lege punitur ſi occultum manet, ſolum Deum habet vltorem.

20 Fures nocturni res noſtras aſportantes licite occidi poſſunt, concurrentibus quatuor qualitatibus hic recenſitis.

21 Fures diurni tunc demum impune poſſunt interfici, cum telo querunt ſe defendere.

22 Fures diurnos cum rebus noſtris aufugientes poſſumus iuſte occidere, quando aliter res non valemus recuperare.

23 Maritus poteſt occidere adulterum vilem noctu in adulterio & in propria domo deprehenſum.

24 Maritus occidendo clericum deprehenſum in adulterio, non incidit in pœnam c. ſi quis ſuadente 17. qu. 4.

25 Maritus in foro conſcientiæ nullo caſu vxorem adulterātem valet interficere.

26 Sponſus per verba de futuro interficiendo clericum in adulterio repertum incidit in pœnā c. ſi quis ſuadente 17. q. 4.

27 Concubinarius an impune poſſit occidere quem inuenit cum concubina, & n. 42.

28 Concubinatus matrimonio æquiparatur, & legitimum nomen accipit. declaratur proue infra nu. 42.

29 Concubina nomine vxoris quandoque à lege appellatur.

30 Concubina dicitur vxor in potentia propinqua.

31 Adulterium in concubinam non committitur.

32 Matrimonium eſt iuris diuini, concubinatus vero eſt iuri diuino contrarius.

33 Concubinatus legitimam ſobolem non producit.

34 Soboles illegitima ad officia, & dignitates non admittitur.

35 Priuilegia vxoribus indulta non competunt concubinis.

INDEX OMNIVM VERBORVM, RERVM, ET SENTENTIARVM

INSIGNIVM, QVAE IN HIS DVABVS CENTVRIIS CRIMINALIBVS PETRI CABALLI Pontremolenſis Continentur, Locupletiſſimus Quidem, & Ordine Alphabetico Digeſtus.

Litera H. Tractatum de Homicidiis denotat.

A.

ABigeus is dicitur qui pecora ex paſcuis, vel armentis ſubtrahit, & deprædatur, & abigendi ſtudium quaſi artem exercet, puta de gregibus, vel boues de armentis abducens, Caſu 160.nu.1.& multo magis, qui abducit ex ſtabulo.nu.2.

Abigeus non eſt, ſed fur, qui pecora aberrantia, vel in ſolitudine relicta abduxerit.caſ.160.n.6.

Abigeus quidam qua pœna punitus fuerit a Conſilio Cataloniæ.caſ.160.n.8.

Abigei ſeuerius, quam fures puniuntur.caſ.160.num.9.

Abigeatus criminis vt quis ſit reus, oportet, quod ex minutis animalibus ſurripiantur ad minus decem, ex ſuibus quinque, vel quatuor, & ex maioribus vnum, caſ.160.n.3. qui tamen ſæpius ſurripuerit, etiam ſi vnum tantum ex paruis qualibet vice abduxerit, Abigeus dicitur nu.4.

Abigeatus ſine dolo, & furandi animo non committitur, & ideo ſi de pecorum proprietate quis contendebat, non dicitur hoc crimen committere, ſed ciuiliter conueniendus eſt.caſ.160.n.5.

Abigeatus pœna eſt vltimum ſupplicium in locis, in quibus frequentatur id genus maleficij, in alijs vero eſt pœna operis publici temporarii.caſ.160.n.6.& quid in perſona honeſtiori locum habeat nu.7. quid & ſi abigeus armis vſus interuenerit, ibidem.

Abſens an, & quando de iure communi pro crimine condemnari poſſit diffinitiue.caſ.181.nu.1.

Abſens, & contumax vigore ſtatutorum, & de generali conſuetudine Italiæ in quocunque crimine habetur pro confeſſo, & conuicto, & diffinitiue condemnatur etiam in pœnam mortis.caſ.181.n.2.

Abſens Reipublicæ cauſa is dicitur qui non ſui commodi cauſa, ſed coactus abeſt.caſ.264.num.138.

Abſentani poſt ſibi intimatam inquiſitionem facit indicium contra ſe.caſ.288.nu.42.

Abſolutio ab obſeruatione Iudicii quomodo, & cum quibus clauſulis fiat.caſ.95.n.8.

Abſolutioni rei in dubio locus eſt potius quam condemnationi.caſ.230.num.11.& 13.

Abſolutioni reddenſus eſt, ſi reus vel intentionem alterius peremerit, vel eam dubiam reddiderit, probationem ipſius elidendo, vel animum iudicis ſaltem titubare faciendo.caſ.214.num.10.

Abſolutoria lata pro reo, ſiue abſente, ſiue contumace, valet vbique.caſ.182.nu.30.

Abſolutus ſemel non debet amplius moleſtari, caſ.95.n.1. ſiue per accuſationem ſiue per inquiſitionem fuerit contra eum proceſſum, & tam de iure ciuili, quam Canonico n.2. & fine dubio quando tanquam innocens fuerit abſolutus.nu.5.& 11.

Abſolutus in vno loco ſiue originis, ſiue domicilii, ſiue delicti, non poteſt in alio moleſtari, fraude, & colluſione ceſſante.caſ.182.nu.28.

Abſtinentia in ſuis idem operatur, quod repudiatio in extraneo.& caſ.264.nu.47.

abſurdum non eſt in Criminalibus aliquos ex eadem cauſa abſolui, alios condemnari, quoſdam item grauius, non nullos mitius puniri.caſ.73.nu.10.cum ſeq.

Acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis.caſ.226.num.1. caſ.272.num.7.caſ.286.n.47.

Acceſſorium corruit, ſublato principali.caſ.272.n.7.

Acceſſorium ſine principali non datur.caſ.286.n.2.

acceſſoria obligatio in eadem cauſa extinguitur per principalem.caſ.191.n.15.vbi declaratur.

accingendus de proximo habetur pro accincto.caſ.65. n.1.& quando, & quomodo hoc verum ſit.n.7.

accurrens cum telo ad mortem inferendam non adaptato, vt puta cum baculo vel cucumâ & aduerſarium in loco periculoſo percutiens & occidens, extra ordinem tantum punitur.H.nu.325.

accurrens cum telo ad mortem inferendam preparato, & in parte non lethifera vulnerans & occidens, ab homicidio doloſo excuſatur.H.num.236.

Accurſii expoſitio nominis decoctoris reprehenditur. caſ.105.num.6.7.8.

accuſans Teſtes de falſo poteſt petere retractationē ſententiæ ciuilis tanquā latæ prætextu falſorum teſtium.caſ.82.n.9.

accuſans eum cum quo pacem ſeruare promiſerat, ſi accuſationem non probet, tenetur ad pœnam, tanquam pacis violator.caſ.247.nu.4.

accuſans videtur deducere in accuſatione non vnam legem tantum, ſed omnem.H.nu.446.

Accuſare quilibet poteſt in publicis iudiciis.caſ.114. n.6.quod tamen abſolute non eſt verum, nec in omni crimine publico procedit.num.7.& ſeq.

accuſari quis prohibetur propter officium, vel dignitatem ſuperuenientem poſt delictum.caſ.147.nu.3.

Accuſationi, vel inquiſitioni de delicto ſimpliciter propoſitæ ante ſententiam addi poteſt qualitas aggrauans, & de ea in ſententia ratio haberi.caſ.173.num.11.

accuſationis, vel inquiſitionis forma non attenditur, ſed Rei conſiſtentia.caſ.173.num.9.

Accuſator calumnioſus inducens falſos teſtes ad probandum accuſationem, tenetur de falſo, & maiore pœna, quam ex ſimplici calumnia punitur.caſ.166.nu.10.

Accuſator non excuſatur a condemnatione expenſarū etiam quod excuſetur a pœna calumniatorum, quia ſufficit temeritas, & quod non adſit legitima accuſandi cauſſa.caſ.166.n.13.

Accuſator quando dicatur calumniare, & quando a calumnia excuſetur remiſſive.caſ.166.n.16.

accuſatores olim pœna Talionis puniebantur ſi in accuſatione deficiebant.caſ.166.nu.1.ſed hodie non eſt in vſu, & eius loco ſuccesſit pœna arbitraria nu.2.

accuſatores calumnioſi grauiter puniuntur, & quandoque etiam morte mulctantur.caſ.166.nu.3.

Accuſatores falſi damnantur ad Triremes in perpetuum, vel ad tempus, & incedere debent per loca publica cum mitra in capite, & nota, ſeu ſcripta in pectore. caſ.166.nu.9. & ibidem refertur caſus de quodam, qui duos Iudices de corruptela falſo imputauerat, & eius condemnatio

Accuſatio, quando continet delictum ſimplex, & in proceſſu probatum eſt delictum qualificatum, an tunc reus ſit abſoluendus.H.412.

Accuſatus ſuper diuerſa re & diuerſo crimine iterum proponi poteſt.H.450.